DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praeſecti;
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

CAROLUS SCOT,

ANGLUS,

——— " *Nodoſa Podagra.*" OVID.

" *Caedimus inque vicem praebemus crura ſagittis*
" *Vivitur hoc pacto.*" PERS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XC.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

HENRICO,

DUCI DE BUCCLEUGH,

&c. &c. &c.

Majoribus cum genere,
Tum virtute, nobiliſſimis
Digniſſimo;
Utpote cui
Incoctum generoſo pectus honeſto
Eſt;
Itaque adeo
Carus amicis, carus patriae,
Vivit,
Vivetque extento aevo,
Notus famae
Haud ſtrenuae inertiae,
Quae
Caſſa eſt ſterilisque,
Sed actuoſae virtutis,
Quae
Humani nihil a ſe alienum putat;

Hocce Opuſculum,
Ejus monumentum et pignus obſervantiae,
Quae
Tali viro, eidemque principi
Familiae ſuae,
Debetur,
Sacrum voluit

CAROLUS SCOT.

Viro

pro suavitate morum

semper

amando,

nec non

pro summo ingenio

atque

Peritia qua artem medicam

feliciter exercet

suspiciendo

Gulielmo Davidson

hocce opusculum

ut

pignus amicitiæ observantiæque

offert

Auctor —

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

PODAGRA quidem ex quo velut morbus ſui generis notatus fuit, medicis jure animadverſionem ſummam et diligentiam excitavit. Ab Hippocrate uſque ad noſtrum tempus multiplici ingenio atque eruditione contra hoc malum miſerius certatum eſt. Commentationes bene multae eo conſilio prolatae fuerunt, ut natura ejus intelligi, nec non rationalis medecina inſtrui poſſet.

Celebris ille W. Temple, quippe et ipſe mature tentatus, ultro ſagacitate ſua pugnare volebat. Novit certe, homines nitidos lautioreſque maxime omnium periclitari, unde animus debilitatur, perlevibuſque momentis obnoxius redditur. Quibuſdam experimentis, in ſeſe ſcilicet, motus, *moxam*, quaſi omnium inſtar, venditavit; inconſulte autem ac temere; namque uſus, efficaciſſimus rerum omnium magiſter, peculiariter utique medicinae, hocce opinionis commentum delevit. Caeterum error viri illius, utpote in curando hoſpitis, paulum oppido nociturus erat.

Reputantibus enimvero, quantum ſagax ipſe D. Sydenham conflictabatur, merito perquam ſanatio propria et certa difficillima eſſe videatur. Hinc in praeſentia ad ſtudium quorundam duntaxat, quae Podagrae ſemper fere adſunt, denuo revocare et laceſſere maluerim.

DEFI-

DEFINITIO.

Quae omnium praecipuae arridet, quippe quod nihil abſolutius adhuc exſtiterit, haec eſt: "Morbus haereditarius, oriens ſine cauſa externa evidente, ſed praeeunte plerumque ventriculi affectione inſolita; pyrexia; dolor ad articulum, et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum juncturis, potiſſimum infeſtus; per intervalla revertens, et ſaepe cum ventriculi, vel aliarum internarum partium affectionibus, alternans *."

HISTORIA.

Morbus autem hicce commode ſatis in duo genera dividitur, alterum nempe ordinatum, alterum inordinatum.

Prius

* D. Cullen Noſol. Method. G. xxiv.

Prius vere ineunte ſaepius accedit, eoque citius tardiuſque, quo hoc acrem hyemem ſerius ociuſve ſolvit. Quam leviter obrepit, atque inopinato occupat; multa quidem debilitatis indicia adſunt; ſed tamen haud ea, quae tale quid inſtari corpori nihil id genus antea paſſo praenuntiarent.

Cruditas, inflatio, ventriculi gravitas, eaque aliquot fere hebdomadis uſque augeſcentia; nec non torpor inflatioque muſculorum foeminum, ac motus ſpaſtici ſaepe acceſſionem in proximo eſſe ſignificant.

Hora circiter ſecunda tertiave matutina, homine tum cubante, incipit acceſſio ipſa ab acuto dolore in globulo aut prima junctura pedis pollicis, aliquando in calce, vel talo vel ſura. Nunc quoque horror ſentitur, qui, prout dolor augeſcit, minuitur, eundemque ex toto finitum febricula excipit, quae quidem ipſa, dolore manente, manet.

Dolor ab acceſſionis initio, mediocris eſt; augeſcens vero in horas proximam circiter veſperam, ligamentis jam oſſium tarſi metatarſique

plerumque

plerumque affectis, quam vehementiſſimus urget. Hic profecto ſatis idonee comparatus cruciatui maximo, quantus a cane partem corrodente, aut membranis duriſſima conſtrictione correptis cieretur, et angorem animi, et corporis jactationem faceſſit.

Remiſſio autem fit proxima fere nocte, quatuorque viginti horis poſt primam acceſſionem dolor, parvo nimirum ſudore erumpente, inter quem homo ſoporatur, penitus deſinit. Ex ſomno partes dolore vacant, rubent tamen tumentque; aliquot vero poſt diebus priſtinum colorem recipiunt.

Verum dolor et febricula, quamvis in ſpeciem acceſſione finita, ſolent intra duos treſve dies nonnunquam repetere; amboque, in veſperam aliquanto auctiora, uſque ad ipſum mane magis minuſve affligunt.

Morbus denique, hoc modo paucos per dies verſatus, interdum omnino decedit, nec niſi longo poſt intervallo regreditur.

Atqui

Atqui hoc mali genus, ordinatum nempe, aliquando acerbius ſaevit. Saepe etenim pedes alterne cruciantur; quin etiam prius affectus interdum poſt alterum liberatum rurſus corripitur. Raro, ſed aliquando tamen, evenit, ut ambo pariter doleant. In medicorum vero monumentis notatum eſt, acceſſiones, quae ſequantur, ambobus ſcilicet pedibus una jam dolore defunctis, alias aliter incipere ac manere; dolorem vero ſub veſpera itidem uſque augeri minuique. Caeterum homo aliquamdiu talia, dura quidem atque aſperrima, perpeſſus, fere aliquanto poſt validior corpore atque animo evadit.

Rarius quidem ſecundo, niſi ex intervallo duorum triumve annorum, repetit *; poſteaque tamen ſemel quotannis, deinde bis, tum denique frequentius hyeme, vere, atque autumno invadit. Atque adeo iterum ac ſaepius intra annum accedens, vix unquam poſtremo, niſi aeſtate, abeſt.

Ambos

* Aliquot profecto reperiuntur qui vel ex prima acceſſione, ſemel ſingulis deinceps annis, iiſque compluribus infeſtati ſunt.

Ambos pedes una aliquando torqueri, ſupra poſitum eſt; hoc vero nunquam fit, niſi crebras poſt acceſſiones, ſeu corporibus ſuae propriae irritabilitatis; etenim, quo frequentius malum tentaverit, eo magis et partes quondam vexatas, et alias inſuper ſibi obnoxias reddere videatur.

Omnes ſinguli articuli partium et ſupra et infra extremarum, ſuum quiſque ad tempus, modo alius poſt alium, modo complures ſimul, dolorem patiuntur. Caeterum hic idem, id quod inſidentem pene aſſiduam moleſtiae gravitatem quodammodo levet, quo ſaepius acceſſio facta eſt, eo magis decreſcit. At enim aegrotatio aliaque generis inordinati indicia ſubeunt.

Articuli quidem aliquoties duntaxat ita exerciti, vim ſuam motumque recipere ſolent; crebrius tamen, non itidem; quippe infirmantur, atque ad poſtremum dureſcunt. Nunc demum materies cretacea in iis proxime ſubter cutem accreſcit. Materies certe haec primo fluida ſubſidit; ex terra friabili conſtat, omnino per acida diſſolubilis, ac ſimul cum aliis ſuam cuique articulo mobilitatem adimunt.

Podagra

Podagra denique corpus, complures per annos, injuriis ſuis exagitatum, aliis morbis opportunius praeſtare videtur. Fere enim plerique, verbi cauſa, qui diutius ea conflictati fuerint, queruntur moleſtias, quarum ſigna omnino referunt illa, quae e renum calculis naſcantur. Caeterum in confeſſo eſt, duo iſtos affectus una nunquam adeſſe.

Ac de Podagra ordinata, quae quidem non injuſte terreat, hactenus dictum eſt; veniamus nunc ad inordinatam, lubricum ſane, et fortaſſe periculoſiorem locum.

Hoc autem genus vulgo in tres ſpecies, *atonicam*, nempe, *retrogradam*, *vagamque*, dividitur.

Earum vero prima articulos nullo dolore neque inflammatione afficit, ſed occupans ventriculum, corpore nimirum ipſo ad tale vitium procliviore, ubi cupiditatem tollit, cruditatem, inflationes, nauſeam, acidos ructus, aliaque id genus efficit.

Dolores ſpaſmique etiam variis in partibus, ſuperioribus praeſertim extremis, ſentiuntur, quibus

quibus omnibus ſpiritus ex ſtomacho evocatus fere auxiliatur.

Alvus adſtrictior fuſiorve cum torminibus, hypochondriaſis, delirium ſeu mania, cuncta denique, ut poſtea videbitur, *nervoſa* quae audiunt, inter hanc morbi ſpeciem obverſantur.

Altera ſpecies, retrograda ſcilicet, inflammatione articulorum ſatis denotatur. Qua quidem etiamſi ordinatam ſimulet, nihilominus tamen eo maxime differt, quod dolor atque inflammatio ſunt minora, eorundemque ſpatium eſt brevius, nec non exitus citior; deſinunt quippe ſubito atque omnino; affectuſque videtur transferri ad interiorem quandam partem, ventriculum ſaepius, ubi dolorem ſummum, nauſeam, vomitum, gravitatemque excitat.

Interdum cor ita laeditur, unde defectio animae, interdum pulmones, unde aſthma inſequitur.

Paralyſis atque apoplexia quoque tali ex cauſa aliquando fiunt.

Caeterum de notarum, quantumvis licet diverſarum, origine, quae hac in ſpecie exhibentur, nihil fere eſt, cur dubitandum ſit. Satis enimvero conſtat, omnia ex articulo ita male habito exoriri.

Tertia denique ſpecies vocatur vaga aut aberrans *. Quo ſub nomine omnes inflammationes, quae interiorum quidlibet, articulis praetermiſſis, occupent, comprehenduntur. Harum autem ſigna ſunt eadem illis, quae alia quavis cauſa naſcantur, ideoque ex ſola proclivitatis congruentia ei tribuenda veniunt.

Nunc vero, narratione hacce explicita, roget quis, quid podagrae cum ſignis totidem variis, et diverſis, atque in omnem partem diffuſis? Fortaſſe, opella procedente, res accendent lumina rebus.

PRÆDIS-

* Bene multis quidem hocce vocabulum diſplicet, quippe quia experientia vim ejus, ſeu rem ipſam, adhuc non ſatis comprobavit.

PRÆDISPONENTIA.

Haec liceat mihi diſpertire in duplicem proclivitatem, haereditariam nempe, et acquiſitam. Diſtributio forſitan nova eſt, veruntamen, ut mihi equidem videtur, haud abſurda.

PROCLIVITAS HÆREDITARIA.

Utrum Podagra quoque per ſucceſſiones quaſdam, ut alia, tradatur, necne? quaeſtio eſt, quae per multa volumina, perque magnae contentionis diſputationes, a medicis ſaepe tractata ſit atque tractetur; ſiquidem in omnibus ejuſmodi cogitationibus in utramque partem differi poteſt. At vero ipſa exemplorum evidentia, nec non analogia demum viciſſe videntur, ut morbus hicce haereditarius haberetur. Caeterum, ſingulis argumentis, quae ad hanc rem probandam

probandam allata fuerunt, in praeſentia omiſſis, ſatis erit obiter notare ſimilitudinem modo, tum animi, tum corporis, quae inter gignentes ac genitos exiſtit.

Monſtra quidem eduntur, et muli; haec autem exempla non modo non contra rem, ſed pro re potius eſſe videantur.

Verumenimvero aliqua ſunt, quae naturam ipſam moderantur atque deflectunt quodammodo. Morbus certe ex hac nota eſt.

Annon illud facile animo concipi queatur, numeroſiſſimis nempe varietatibus morborum conſideratis, quod minutae ac magis neceſſariae animalium partes ita affici poſſunt, uti motus eorum inde aliter aliterque regerentur. Hinc quicunque morbus ipſo ex corpore, tanquam ſeminio ſibi proprio, oritur, idem aliquatenus tradatur genitis neceſſe eſt. Nihil aliud igitur, huic loco neceſſarium, reſtat, niſi illud (ſicut poſtea conabimur) oſtendere, quod podagra tam penitus corpori inhaereſcit, et tanquam in venis, medullis, viſceribuſque inſidet, ut omnino omnium actionum ſocia adſit.

Caeterum

Caeterum in praeſentia, analogiae cauſa, allegaſſe ſufficiet, duo iſta mala, ſtrumam ſcilicet ac maniam, quae multa poſt ſecula hodieque priſtina vi ſua, quippe gentilitia, graſſantur ſaeviuntque.

PROCLIVITAS ACQUISITA.

Perſpicuum eſt, conſtatque inter omnes, utcunque de rationibus diſſentientes, compluria eſſe, quae motum vitalem ſervent minuantve.

Nemo eſt hominum, qui, ſuo ab oculo, firmitatem valetudinis, quae ut urbano, deſidiae luxuriaeque pleno, ab ea, quae ruſtico temperanti atque exercitato contingit, dignoſcere nequeat.

Contra alterius pallidae faciei gracilique forma reſpondent genae alterius rubentes corpuſque muſculis robuſtiſſimum. Hujus autem diverſitatis nemo cauſam neſcit dubitatve affirmare,

re, quod inde ſoboli utriuſque neceſſario eventurum erit. Adeo "fortes creantur fortibus; "neque imbellem feroces progenerant aquilae "columbam."

Infans certe, qui mollior atque imbecillioribus nervis in lucem editur, vix vitalis erit, quippe qui, ut ita dicam, cuicunque vel leviſſimo vento debet ludibrium.

Quae cum ita ſint, minime mirum eſt, ſi omnes actiones tali ab corpore quodammodo afficerentur, fibraeque muſculorum, aetate procedente, vitiatae podagra evaderent.

Quin contra, ſi nulla omnino primigenia labes, neque proclivitas adſit, attamen quis neſcit, complures morbos, veluti Dyſpepſiam, Hypochondriaſin, Icterum, quibus quidem Podagra ſuo jure accedere meretur, ab ſocordia ipſa atque ignavia, quippe compagem humanam ſolventibus, arceſſi attrahique.

Caeterum nullus, his quanquam dictis, acceſſerim ingenioſo illi, qui proclivitatem acquiſitam oſtentavit, quaſi unicam, ex qua ratio

cunctorum

cunctorum morbi indiciorum facile intelligi poſ-ſit *. Enimvero interdum vel potius nimium ſaepe eſt, ubi ſumma in cibis potionibuſque temperantia, nec non quam curioſiſſima exercitationis ratio hominem ab haereditariae proclivitatis malignitate vindicare nequeunt.

EXCITANTIA.

Hujus autem generis ſunt omnia ſingula, quae vires infringunt ac debilitant. Minime igitur mirum videri debet, ſi cautio ac diligentia, quanta ea cunque demum ſint, vix aut ne vix quidem corpus, huic malo proclivius, tutum ab omni injuria praeſtare poſſint.

Quicunque luxurioſus epulantur, nimium utique carnis vinique ingentium virium devorantes, fere admodum periclitari videntur.

Caeterum,

* D. Cadogan.

Caeterum, quaecunque totum corpus vehementius commovent, eadem citius acceſſionem afferunt.

Omnium vero hujus notae immodica Venus forſitan in primis memoranda venit.

Bacchus quoque nimius impetum huic malo ſaepius dedit.

Porro autem incuria tum materiae, tum numeri eorum, quae ingeruntur; multa negotioſa cogitatio vel actio; nocturna vigilia; pleraeque exinanitiones immoderatae; operae vel exercitationis ſolitae ſubita, utique in longius, mutatio; tranſitus ad alterum cibum, a pleniore praecipue ad permodicum; acida, ſeu liquores aciduli temere aſſumpti; frigus denique, ad extrema inferiora admiſſum, frequentiſſime huic vitio occaſionem aperiunt.

Poſtremo, nihil hujuſmodi eſt potentius, quam magnae animi perturbationes, in quas quidem, id quod, ut aiunt, oleum addit camino, homo nunquam alias tam facile incidere ſolet. Atque adeo D. Sydenham ſcite perquam dixit, " non

" enim

"enim rectius Podagrae, quam Iracundiae, pa-
"roxyſmus omnis dici poteſt; cum *," &c.

Per haec hactenus proluſum eſt; agatur nunc oportet de

PROXIMA CAUSA.

Iſtam certe aeſtimare, hic labor, hoc opus eſt; quod quidem opus permulti auſi ſudarunt multum, fruſtraque laborarunt.

Prius vero indicandum eſt, idque curſim et breviter, quae maxime hac de re dicta fuerunt.

Medici olim humores, quippe ex morbo aliter aliterque mutatos, primariis affectibus patere exiſtimabant. Hinc ratio complurium morborum, ſanguine ſcilicet nunc in acidum, nunc in alkalinum, pro eo, ut auctori placuerit, variante, ſatis facile redditur.

 Sanguis

* D. Sydenham Tract. de Podagra.

Sanguis nimirum in Scorbuto ac Typho putreſcit; in Rheumatiſmo, Pneumonia, et Phrenitide lenteſcit atque inflammatur; in Struma humores ſunt corroſivi, in Hypochondriaſi contra nimis blandi; in Podagra denique propriae acrimoniae plurimum habere putantur.

At vero nihil omnino acrimoniae iſtius, podagrica chiragricave quae audit, uſque adhuc, humoribus quomodocunque mutatis, in hominibus, ſeu proclivioribus, ſive etiam aegris, deprehenſum fuit.

Materies quidem cretacea, quae aliquando in articulis accreſcat, lenis omnino eſt, videturque nil aut paululum ab terra calcarea diſtare.

Ex urina deinde nihil, niſi quod ſoleat poſt corpus, qualecunque modo gravius affectum, deſidit.

Plurima denique ſunt, quae huic opinioni repugnant.

Poſt acceſſionem, verbi cauſa, noxia materies digeri putatur; nihilo tamen ſecius, ſi tum al-

vus

vus forte purgatione ſolicitaretur, ne iſte dolor omnis continuo redit. Enimvero, ſi vitium in humidis verſetur, exinanitiones ſatis commode facerent; aſt eas huic morbo quam alieniſſimas eſſe conſtat.

Porro autem, quod ad podagram inordinatam pertinet, talis opinio pariter quaſi claudicat et vacillat.

Certe ex humidorum motu intelligi nequit, cur partes, neutiquam vicinae, ſubito afficiantur; cur plures ex conſortio ſimul; cur ſingulae, ſua quaeque vice, ipſae praecipuae, doleant.

Denique, proclivitas haereditaria, hacce ſententia accepta, nihil omnino valet. Humores etenim prius multo, quam Podagra invadere ſolet, iterum ac ſaepius, ab utero olim adeptus, nullus nunc circumagitur; cibus atque abſorptio alia humida, aliis nempe per inviſibilia ac reliqua foramina continenter exeuntibus, deinceps ſuffecerunt.

Verum

Verum quidem haec hactenus; videmus nunc de altera, eaque prorſus diverſa ratione, oportet.

D. Caverhill totas Podagrae cauſas ex arteriarum genere elicere conatus eſt.

Ipſe autem putat, arterias, vi nempe muſculorum, articulos juxta comprimi et coarctari; itaque dolorem acceſſionis ex corde, ſanguinem propellere per eaſdem moliente, progigni.

Quam quidem ſententiam, ut illi placet, et partes et corpora, quae ſaepius laborant, nec non aetas, qua malum fere advenit tueri videntur.

Singula vero morbi indicia hoc modo explicans haud jugiter ſibi conſtat.

Autumat ſane ille, nervum uno etiam tempore et ſentire et ſenſu carere poſſe; dolorem eſſe nihil aliud quam penetrabile frigus; vivum calorem ſervari ex frictione terreſtris materiae, quae in cerebro ſecreta per nervos impellitur;

lapillos

lapillos denique cretaceos eſſe tantundem cerebri in articulos depoſitum.

Singulatim certe unamquemque iſtarum rerum, quae futiles omnino videntur commentitiaeque, in hoc tranſcurſu tam arctati operis refellere nihil convenit, leviter aliquot attingere fortaſſe haud alienum eſt.

Jam vero, ſi exercitatio in cauſa eſt, cur vaſa inter ſe cohaereſcant; qui cor unquam ea diducere valebit? Hujus nimirum vis ſemper muſculorum motu intenditur, ideoque nunquam non ejuſmodi caſum arceret.

Ruſtici, atque homines, quibus opera vita eſt, vix unquam ita aegrotant.

Sedentarii praecipue omnium periclitantur: Nonne igitur, D. Caverhill auctore, partes eorundem, quae maxime comprimuntur, in primis tentarentur? Nonne etiam textoribus ſutoribuſque ſaepius multo glutaei muſculi, quam pedis pollex, doleret?

Idem

Idem porro dixit vaſa ſcilicet remiſſiora ad cohaerentiam ſpectare, atque hinc afferre vult rationem, quam ob rem articuli, alius poſt alium, affici videantur.

Atqui ego crediderim, vaſa, ita ſeſe habentia, haud nimio magis ad cohaerentiam ſpectare; ſiquidem vis cordis, qui ſanguis propellitur, tranſitus pro difficultate continenter augeſcit; unde arteriae nunquam penitus comprimi poſſint.

Ad ſummam, reliqua hujus ſcriptionis ſunt ejuſdem farinae; itaque ſatis ſuperque dictum eſt.

Sed his, ſicut aequum eſt, demiſſis, quiſpiam dixerit, "Quid tandem feret hic cenſor? Neque enim ſatis eſt reprehendiſſe peccantem, ſi non doceat recti viam." Sit ita ſane; atque adeo olim fortaſſe amplius dicendum erit: Sed in praeſentia, iis, quae ex conjectura potius, quam uſu, chartis illeveram, omiſſis, me Ciceronis vox non dedecebit: "Utinam tam facile vera invenire poſſem, quam falſa convincere."

RATIO

RATIO MEDENDI.

Maxime profecto hic me titulus admonet illud poetae, "Frontis nulla fides;" ac vereor equidem ne aliquis nunc idem dixerit, quod Laco olim de Luſcinia devorata, "Vox et praeterea nihil."

Medicus enimvero in Podagra praecipue omnium ſuas vel excogitatiſſimas rationes curationeſque nil aut admodum paulum proficere expertus plorat. Ab cauſa ad effectum ſatis ſubtili argumentatione concluſum eſt, ſed omnes poſt ſyllogiſmos effectos, quid tunc? Quaeritur uſque, Cui bono?

Quod ad me quidem attinet, magis certe optandum, quam ſperandum eſt, uti ſequentia quid venia dignum reſpondeant.

Solum

Solum fortaſſe periculum, certe maximum, ex podagra timendum eſt, quando ea, extremis relictis, vitalium quid occuparit; ideoque prudentes medici ſemper iſtam tranſitionem prohibere conati ſunt.

Contra autem ſunt nonnulli, qui, dum dolorem in extremis lenirent, nihil quidquam penſi habeant, quibus modis id conſequerentur. Hinc Empirici, rumuſculos imperitorum hominum aucupantes, eoque plus dulcis lucelli, alia atque alia, ſuum nempe quiſque, quaſi ſola auxilia, venditarunt. Itaque ergo emplaſtra, quae reprimunt comprimuntque, praefrigida aqua, nec non ambulatio ſine calceamentis ſuper nivem glaciemve decantantur.

Talia quidem, utpote quae paucis haud multum nocuerunt, aliquamdiu inculcata ſunt. Longior autem experientia atque obſervatio curioſior compluria mala, non parva, ex podagra ita repulſa ſubſequi teſtantur.

D. Hoffmannus, eruditus ille ac ſagax, hujuſmodi curationem, non modo ut ſupervacuam, ſed etiam periculoſiſſimam, quippe quae inter-

dum

dum affert apoplexiam, paralyſin, defectionem memoriae, aſthma, dolorem coli, atque inflammationem viſcerum abdominis, reprehendit culpatque.

D. Sydenham nihil aliud, quam cataplaſma ex pane et lacte cum croco extrinſecus imponi vult, praecipitque, ſi dolor urget, ut opium ingeratur.

D. Cheyne, quoque nihil omnino id genus adhibendum eſſe putat; niſi cum eo, ut ratio ſimul circuitus per alia ſervetur.

Frigus deinde eo conſilio imperari videtur, quo parti uni tentatae, vix ſalva totius corporis ratione, citius ſuccurratur. D. Hoffmannus quidem haud prorſus omnino hoc monitum rejicit; ſed, Hippocratis nempe auctoritate motus, eidem aliquatenus parendum eſſe judicat.

Caeterum, plures auctores nominare nihil opus eſt, ſiquidem ſatis conſtat, modo credatur D. Muſgrave, qui omnia hujus loci tam diligenter exploravit, nulla extrinſecus adhibita praeter

ea, quae malum in extremis uſque cohibere valeant, nec utilia, neque etiam innoxia fore.

Atque ideo pedes calida lavari, lanei panni, cataplaſmata emollientia, aut quaecunque corpuſculis per inviſibilia foramina manantibus iter expediant, fortaſſe praecipue omnium id genus adjuvant.

Moxa, ut jam dictum eſt, quaſi remedium ſingulare ad partis dolorem tumoremque laudatur. Atque etiam vir ille eximius, ex ſui ipſius aliorumque experientia, ſalubres ejus effectus enarravit. At vero et modus, quo adhibetur, minus placebat, ac res ipſa ſua ex facultate, quippe perbrevi, vix videtur par eſſe tollendo morbo, qui ex totius corporis infirmitate enatus eſt. Certe enim in hujuſmodi caſu nulla curatio recte procedere poteſt, niſi ea ad totum corpus dirigatur; namque velle curſum Podagrae impedire adurendo idem ſonat, atque eryſipelas curare excidendo partem primo affectam, quod eſt cum ratione inſanire.

Sanguinem, inciſa vena, mitti, Celſo * ipſo et D.

* Lib. 4. c. 24.

D. Hoffmanno auctoribus, levat inflammationem, dolorem, et febriculam, quae inter acceſſionem fieri ſolet. Hoc equidem, diſcipulus quippe non immemor D. Cullen ingenioſiſſimi, ſi quis unquam alius, tam ex morbi ratione ſupra propoſita, quam ob mala compluria inſequentia improbare nullus dubitarim. Caeterum ipſe dixit: "I believe, however, that bleeding by leeches on the foot, and upon the inflamed part, may be practiſed, and repeated with greater ſafety; and I have known inſtances of its having been practiſed with ſafety to moderate and ſhorten paroxiſms *."

Quod ad purgationes attinet, D. Sydenham ita loquitur: "Ego certe perſuaſiſſimus ſum a jugi et ſaepe iterata experientia edoctus, catharſin omnem, tam per lenientia, quam per fortiora medicamenta, qualia pro more articulis expurgandis deſtinantur, plurimum nocere †," &c.

Huic autem opinioni D. Cheyne repugnat, idque, me judice, merito; namque, etſi fortiora purgantia

* D. Cullen, Firſt Lines, &c. DLXIV.

† D. Sydenham de Podagra.

purgantia inter vel poſt acceſſionem adhibita aut morbum augeant, aut reditum ei aperiant; attamen lenia certe, quae et bilem ſuis e vaſis elatam dejiciant, atque impedimenta in canali, inteſtinalis qui vocatur, amoliantur, neutiquam aliena exiſtimari debent.

Inter acceſſionem vero animus et corpus ſunt ambo tam irritabilia, uti ſumma cautione ad remedia proponenda opus eſt.

Stomachus quoque, cui toto cum corpore quoddam conſortium eſt, propriam animadverſionem deſiderat. Ex hujus uſu facile apparet, quantum oportebit, reſici eum et corroborari. Ad quod conſilium aromata, amara, medicamina ex chalybe confecta, cortex Peruvianus, cibuſque valentior, ſaepe commode ſatis proficiunt. Neque tamen id ignorari oportet, quod talia ſummam inter acceſſionem, ubi cutis admodum caleſcit, febriſque vehemens urget, caute quidem parciuſque; ſed, cum languor, inflatio, dolorque ventriculi vexant, tum demum liberalius aſſumenda ſunt.

Nunc

Nunc etiam ex opio confecta proſunt, atque a D. Sydenham ad ſomnum movendum praecipiuntur. Veri tamen ſimile eſt, ea ſtimulando praecipue valere, quippe quibus hic ipſe medicus Podagrae retrocedenti occurrere ſolebat.

In Podagra utriuſque generis modicam exhalationem per cutem continenter fieri multum expedit; ſic enim naturales, ſano veluti in corpore, actiones quodammodo continuantur. Sudor autem plurimus nocet, utpote qui corpus infirmat, fortaſſe acceſſionem protrahit, certe eam citius revocat.

His vero dictis, quae pertinent ad acceſſionis curationem, ad eam, quae alteram quam procul arceat, tranſeundum eſt.

De hac quidem re inter medicos parum conſtat; namque alii victum tenuiſſimum refrigerantemque, alii diverſiſſimum proponunt.

Lac autem atque olera multum laudantur.

D. Cheyne etiam contendit, nullam omnino ſalutem fore podagrico, qui ſibimet vivere pane ſolo ac lacte imperare nolit.

Atque

Atque dubitari non poteſt, quin cibus opimus victuſque luxurioſus ſummam podagrici cujuſque irritabilitatem plus nimio agitet. Corpus enimvero nunc ali curioſius debet, atque ideo leniora omnia chylique efficientia optime conveniunt. Hinc lac plerumque maxime aeſtimatur, idque jure, ſi perpetuo, ſalvaque ratione ſtomachi, aſſumi queat.

Denique, D. Sydenham ita effatus eſt: "Atque inſuper, quod ego palmarium judico, cum lac alimenti genus ſit adultis prorſus impar, iſtam humorum turgeſcentiam ſive viroſitatem reprimit, cui podagra ortum debet; atque eo nomine paucos iſtos, quibus congruit, tamdiu a podagra immunes praeſtat, quamdiu eo ſolo veſcuntur, nec juvat ulterius. Cum enim podagrae cauſae originali ac primariae, nempe concoctionum ac fermentorum debilitati omnino contrarietur, longe magis hac ratione obeſt, quam altera prodeſt *."

De oleribus vero multo minus nunc ambigitur; ſiquidem ea ſaepius aciditatem, atque inflationem, podagricis infeſtiſſima, gignant.

Porro

* D. Sydenham de Podagra.

Porro autem, "cum quis mutare aliquid vo-
"let, paulatim debebit aſſueſcere. Quodcun-
"que enim contra conſuetudinem eſt, nocet,
"ſeu molle, ſeu durum eſt." Quod quidem eſt praecipue in hujuſmodi caſu ſalubre ac frugiferum; namque, quo longius aetas procedit, eo mutatio victus periculoſior eſt.

Caro etiam ipſa, ſi conſuetudini, ſeu neceſſitati parendum ſit, modo ſimplex, quantaque duntaxat facile concoquatur, dari poteſt.

Quod ad potum attinet, pleriſque vinum ex toto circumcidi placet, ſi nempe uſus ſtomachuſque ſinent *.

Cereviſia tenuior a D. Sydenham praecipitur; temere forſitan et imprudenter; frigida enim eſt, inflat, atque aceſcit.

Aqua, cui paulum admodum vini aduſti, (*brandy*), aut liquoris e ſaccharo (*rum*), aut ex byne cum juniperis confecti (*gin*), ſit adjectum, ſatis commode reſpondet; fortaſſe autem ea, cui humor,

* D. Hoffm. de Curat. Dolor. Podagra.

humor, elicitus ex byne cum juniperis, miſcetur, omnium eſt optima, quippe quae urinae itineri, ſaepe podagra diuturna infeſtato, proſit.

In Anglia aquae Bathonienſis et Harrowgatenſis, utpote reditui podagrae prohibendo utiles, multum celebrantur *.

Omnium

* Ex earum natura facile intelligitur, quomodo ad podagram faciunt. Plerumque in ſeſe continent ferrum et gas hepaticum, quae quidem ambo potentiſſime ſtimulant; atque ideo aquae illae eodem, quo res ſui principia ſimiles, valeant neceſſe eſt. Utique immodicae potae nocent, ſiquidem corpus plus nimio exagitent.

Ex D. Lucas et Faulkner experimentis cognitum eſt, aquis Bathonienſibus ineſſe ſalem communem, hepar ſulphuris (ſeu kali ſulphuratum) calcem vivam, ferrum, ſelenitem, atque aëra mephiticum.

Caeterum, quaecunque vis ineſt illis, eam certe cum D. Lucas ex veterum auctoritate aquae ſimplici tribuere noluerim. Haec quidem ipſa aliquot fortaſſe in morbis nihil laedit, in podagra non itidem; quippe quod irritabilitas corporis neceſſario inde periculoſius augeatur.

Omnium vero rerum hujuſmodi nihil plus, quam exercitatio, juvat. Medicorum unuſquiſque hanc praecipit atque inculcat; quin etiam D. Sydenham eam podagrico, quamvis inde paſſuro vel ſummum dolorem, aut ſenectute confecto, jubet imperatque.

Equitatio autem praecipue utilis eſt, quippe quae inertem atque imbecillum ſtomachum reficit et confirmat, nec non profluvium urinae craſſae excitat *.

His denique ſervatis, cunctiſque excitantibus, quoad ejus fieri poterit, vitatis, nihil fere amplius eſt, quo morbus repetere prohibeatur.

Jam vero reſtat aliud nihil, niſi ut paucula ſuper podagrae inordinatae, ſeu atonicae, curatione accederent.

Ut igitur ante hac omnia in eo erant, quo morbus aliorſum ab extremis tranſire prohibe-

* Semper quidem urina craſſa, vi acceſſionis decreſcente, redditur; hinc mutationem in melius, quandocunque talis exire coeperit, conjicere par eſt.

retur, ſic nunc contra nihil non tentandum eſt, quo idem loco ex interiore ad exteriorem pellatur, ibique contineri queat.

Inter alia autem debilitatis ſigna ſtomachus jam praecipue affici videtur; quapropter eum in primis, itaque totum corpus, corroborari oportet.

Exercitatio, ac nominatim equitatio, imperari debet.

Caro pro lacte atque oleribus, et vinum, modice ſcilicet, ſumi poteſt. Si quando hoc nimis aceſcit, ſpirituoſis liquoribus aqua dilutis utendum eſt.

Amara, cortex Peruvianus, et ferrugo nunc, ut graviora duntaxat leventur, recte dantur; cum eo tamen, ut ratio priſtinae vitae habeatur; alioqui enim malum non ſolum non ad extrema abigitur, nec corpus confirmatur, ſed quaedam tenerior pars occupatur, atque infirmitas totius corporis augetur.

Vomitus

Vomitus et dejectio, nauſea infeſtante, proſunt. D. Muſgrave, qui ſuper hac re fuſius diſſeruit, purgationem die ſecundo poſt vomitum monet, ratione nimirum virium nunquam non habita.

Denique, ſi quando ea medicamenta vincuntur, et ſtomachus uſque dolet, cantharides illitae inferioribus extremis interdum auxiliantur.

Morborum quidem nullus D. Hoffman, Muſgrave, Cheyne, et Whytt, auctoribus, eſt neque formidoloſior, neque mutabilior podagra, quae, extremis relictis, per corpus vagatur, ac partibus demum inſidet, quae minus opportunae eſſe videantur. Atque ideo naturalia etiam periclitantur; et gonorrhoea, et tumor teſtium aliquando inde exorta ſunt.

Si ſtomachus praecipue urgetur, ad fortiora vina, atque aromatica, eaque calida, decurrendum eſt; quin etiam, ſi res poſtulaverit, liquores ardentes, iique liberaliter ingerendi ſunt.

Allium quoque, aſſa foetida, atque alkali volatile, aliquid juvant.

" Verum

"Verum hoc in caſu (ait D. Sydenham) "modo non caput, at partes vel naturales, vel "vitales, ejuſmodi malum impetat, ad lauda- "num ſtatim confugiendum; nempe laudani "liquidi guttae viginti hauſtulo aquae epide- "micae immiſtae propinentur, et in lecto ad "quietem aeger ſe componat *."

Hujuſmodi quidem curationi D. Cheyne nonnihil opponit; veruntamen ex opio confecta hic non parum valere videntur, atque etiam, experientia ſuadente, majore pondere nunc imperari debent.

Vomitus quoque interdum accedit; ideoque invitare eundem, tepida nempe aqua, expediet, ac poſtea, quo commodior quies veniat, opium ingerere.

Si quando pars vitalis tentata ſit, fortaſſe melius erit, morbum, quaſi primarium quendam, curare. D. Sydenham, pulmonibus affectis, ſanguinem mitti, ac ſudores, ſi diarrhoea male habet, evocari jubet.

Denique,

* D. Sydenham de Podagra.

Denique, ſi difficultas ſpiritus exercet, ex opio confecta, nec non ſpaſmos inhibentia, atque illitae cantharides, optime proficiunt.

Talis videtur eſſe ordo curationis; ſimulque inter cuncta contendi quam maxime oportet, ut malum, partibus magis neceſſariis depulſum, in extremis cohibeatur, id ipſum quod plurimum praeſidii praeſtiturum erit.

Poſtremo, quod ad podagram attinet, quae vaga ſeu aberrans ſpecialiter audit, illud tantummodo ſubjicere habeo, quod ſaepe difficillimum eſt, ſatis nominatim decernere, quaenam iſti imputanda veniant. Hic certe, ſi uſquam alias, proclivitas et genus vitae aliquid valere videantur; aſt vero, quanquam cunctis iſtuc ſpectantibus, curatio itidem, ut modo dictum eſt, ad morbum, quaſi primarium, dirigatur oportet.

Caeterum nunc fere renes dolent, atque ſigna nephralgiae calculoſae adſunt. Sub quo caſu aqua calcaria optime omnium reſpondet; quin etiam eſt, ubi, D. Whytt auctore, contra alia inſuper auxilietur.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 19. lin. 17. *poſt* ſaepius, *adde* renovati ſunt, ſanguis